



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Fouillon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

II. Gratissima hominibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

feruntur, quām quō ventus impellit: qui sunt hi, qui ut nubes volant? Similes sunt instrumento, quod operi admoveatur, quiescit, deteritur, situ rubiginem contrahit, prout visum opifici. Jumento similes, cuius non refert, qualem sarcinam gestet, aureámne an plumbeam: *ut jumentum ego sum apud te, & ego semper tecum.* Similes ovi, cuius propensio ad pascua pendet à ductu pastoris, qui regit & nihil deerit. Similes Evangelicis vinitoribus, quorum nihil intererat, fodérēntne, an pastinarent, putaréntve, aut fulcirent vites, vel rigarent: ad quidvis parati, dum conductori suo satisfieret.

## II.

*Gratissima  
hominibus.*

Gratissimam Deo esse hujusmodi indifferentiam, facile ex nobis ipsis intelligemus. Hero ciupiam servi duo sunt. Unus cessare nescius, in omnia familiæ commoda intentus, nec diligentia parsens, nec labori: at ubi ab hero aliquid præter mentem suam facere jubetur, vix temperat ab obmurmuratione, difficulter saltem & obnitens

## 120 BONA VOLUNTAS

obnitens obtemperat. Alter non adèò  
velox est in opere suo, neque ultrò ad  
heri obsequium tam multa aggreditur:  
at ubi mentem ipsius intellexit, eò pro-  
tinùs advolat absque ulla tergiversatione.  
Uter eorum servorum hero gratior est?  
Dubitari, inquis, non potest: dominis  
enim ex eorum voluntate, non suâ, fa-  
mulandum est, figereque sibi hanc legem  
debet quisquis in famulatum concedit,  
arbitrio deinceps herili vivendum esse.  
Ita & inter milites res habet: ubi non is  
pluris fit, qui sàpiùs in hostem excurrit  
& pugnat, sed qui stationem sibi designa-  
tum tuetur, & à ducis sui imperiis per-  
petuò pendet: uti Evangelicus ille miles  
ac servus, cui cùm dicitur *vade, vadit;* *fa-*  
*boc, facit.* Indoctus eques laudabit equum  
generosum, tenéri ac quiescere nescium,  
qui ubi tuba insonuerit evolare gestit, &  
si prohibetur, impatiens moræ fræni  
ferox spumantia mandit: qualem ferè  
habes descriptum Jobi cap. 39. At do-  
ctus domitor qualecumque equum non  
magni faciet, donec non calcari modò

aut

aut virgæ, sed & sibilo ac poppysmo obtemperet: donec ad minimum sessoris nutum eat, recedat, excurrat, subsultet, transfiliat, in oinnein seſe motum agitatemque efformet.

III. Tales sibi Deus homines expetit,  
*Et Deo.*

quibus obedientie securus dicere possit: *Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Quos in navim conjiciat, & claudat à foris ostium, quonodò factum Noëmo, ut à Dei voluntate totus pendet, ingressusque ipsius jussu, egredi in jussu nequiret.* Fulgurum emissiones poëticâ paraphrasi describens Deus, Jobi cap. 38. *Nonne, ait, mittes fulgura & ibunt, & revertentia dicent, Adsumus?* Ita viri boni eant, sed non nisi quò mittuntur, dicantque, *Ecce ego, mitte me.* Pingi solent Seraphini, extensis utrumque alis, velut ad evolandum parati, quò jufferit Dominus. Sic amantes divini obsequii homines non evolent, sed volare parati sint, quando Deus voluerit. Hoc, opinor, Franciscus Sales Gebennensis Episcopus